

§. X. Verbum ἀναπαύσωνται compositum est ex præpositione ἀνά  
*per*, & verbo παύω *cesso*, desisto. In compositione ἀνά ad aliud ordi-  
 narie respicit, denotatq; quod mortui tantum ab uno alterovè laborioso  
 onere, quod & in hâc nonnunquam vitâ factum, desistant; sed omnino  
 à laboribus & molestiis quietem capiant, non demùm in fine seculi,  
 sed statim post excessum animæ à corpore obtinendam. Quamquam alii  
 τὴν ἀνά vel nullam indant speciem, vel saltem permutationem cum labo-  
 ribus ei adscribant. Inauius supra, hanc beatitudinis delineationem esse  
 negativam, quatenus molestiarum absentiam quietis repræsentat. Eam ta-  
 men id, quod positivum est, è vestigio insequi, sc. recreationem acce-  
 ptam, defatigatis per quietem exhibitam. Pontificii statuunt, defunctos  
 quidem requiescere à laboribus huj. vitæ sed si à peccatis non omnino li-  
 beri decesserint, novos multoque graviores labores eos in purgatorio  
 expectare & perferentis ere. Sic *Salmero* in 1. Cor. XV, Disput. XXVI,  
*requiem esse, ait, dulcissimam, carere verme conscientia, tales autem*  
*esse, qui sunt in purgatorio.* Communissima est Pontificiorum hypothe-  
 sis, ignem purgatorium solâ duratione ab igne infernali differre. Quæ  
 verò quietis juxta delirium Papisticum foret quietis & beatitudinis, quod tamen  
 contra expressum Spiritus S. assertum, inquieta. Somnum suum etiam luci  
 exponunt *Psychopannychitæ*, & qui illis adhuc pejores videntur, *Sociniani*  
*nonnulli*, hanc quietem ad diem extremi judicii differentes, non perpen-  
 dentes τὸ ἀπαύσει, frustra que desumentes vim probationis ex τῷ ἔθω,  
 quod tempus multo post futurum exprimat, cujus acceptio recta jam  
 supra ostensa est. Probant denique ex hâc somnum suum fanaticum  
*Anabaptistæ & Quakeri*, somniantes: Per quietem hâc omnis sensus ex-  
 pertem somnum intelligi. Quam absurda hæc omnia sint, uniuscujusq;  
 sanâ non carentis ratione, relinquo iudicio. Evidens enim est quomodo  
 hi fanatici corrumpant Scripturam, eique planè peregrinum indant sen-  
 sum; cum tamen verba Spiritus S. quæ ut jacent accipienda, luce meri-  
 dianâ sint clariora: ἵνα ἀναπαύσωνται ἐκ τῶν κόπων. Ineptissime etiam  
 Grotius h. m. *laborant quidem, sed in labore habent quietem, i. e.*  
*pacem conscientia, oppositam tormentis impiorum, juxta Ps. CXVI, 7.*  
 Quis enim sanus unquam verba Evangelistæ legens, hunc hauserit inde  
 conceptum? Manendum itaque & hac vice in communissimâ atque in S.  
 literis fundatâ, & in dicto hocce nostro à Spiritu S. expressâ sententiâ,  
 quod omnes in Domino beatè defuncti, à labore suo molesto, ob testi-  
 monium